

Articulus Septimus.

Cum vero tota Valachorum Communitas rebus potissimum bellicis ac militaribus vacet, ob idque singularibus Privilegiis gaudeat, ideo omnes et singuli ipsorum, sive stipendiarii sint, sive non, ad secandum desertum et sylvas inter Savum et Dravum, singulis annis, relictis tantum in munitionibus vigilibus sufficientibus, sint obligati, ut nimirum eo labore Turcis et inimicis omnis ad illa loca aditus et in Christianos impetus intercludatur.

Articulus Octavus.

Similiter Castella in suam defensionem extructa, aut adhuc extruenda, suis laboribus coadiuvabunt.

Articulus Nonus.

Insidias et Machinationes suspectos fideliter ad nos vel Generalem Nostrum deferent.

Articulus Decimus.

Fines Patriae in omnibus tribus Capitaneatibus, ne ullus Christiani nominis hosti pateat additus, praeter salarisatos milites, etiam caeteri cuncti Valachy Stipendio carentes, suis sufficientibus semper excubiis et vigiliis tueri ac custodire obligati sint.

Articulus Undecimus.

Quocumque autem tempore, quod Deus clementer avertat, quidam impetus aut suspicio maioris momenti oriretur, ex omnibus omnino Capitaneatibus, quotquot inveniuntur, Valachy, imo ipsa Juventus, decimum Octavum Annum excedens, ad Turcos et hostes coniunctis viribus erunt parati, adeoque militaribus signis ad hoc per Generalem deputatis excitati, inter duas vel ad summum tres horas, cum omni bellico apparatu, semper ad minimum sex vel septem millia militum Valachorum in unum locum Congregabuntur, donec et qui longius distant precepto Signo accurrere, seque cum illis coniungere vel alio ubi necessitas id requisiverit secundum Generalis dispositionem convolare possint.

Articulus Duodecimus.

Si contra hostem extra Provinciam ducentur, absque stipendio, in partibus Turcae subjectis per quatuordecim dies, in aliis vero Provinciis per Octo dies Castra Generalis sequentur, quibus elapsis, ut reliqui stipendia accipient.